Joannis de Mioceris

UNICENTRICUM SCIENTIARUM SYSTEMA



Tergestis

MDCCCLXVII

PROLUSION

DE LA

TRADUCTION FRANÇAISE

Le système philosophique exposé par l'auteur Jean-Rendich de Miocevis dans son *Unicentricum scientiarum systema* (Système unicentral des sciences, imprimé à Trieste chez Herrmanstorfer, 1867) remonte à une antiquité très-reculée, jusqu'à Zoroastre qui, entre le ministère diabolique de décomposition représenté par la figure divinatoire de *Ariman* et le ministère angélique de composition représenté par la figure divinatoire de *Oromazde*, produisit le systeme providentiel du monde par la divinité intermédiaire de *Mitra*, c'est-à-dire le *Métron* des Grecs, le *Modus* des Latins, qui est précisément *la Modération* entre les extrêmes opposés, unanimement préconisée par les philosophes de tous les temps et de tous les pays.

Si tout, dans le monde, est un jeu d'équilibre entre les extrêmes opposés, il suffit d'observer, comme guide de la vie humaine, la doctrine de la modération qui consiste dans l'équilibre proportionnel entre les circonstances et les *provisions*. Pourquoi en effet encombrer l'entendement humain d'une quantité de préceptes divers qui ne sont pas toujours vrais et clairs, qui sont même souvent contradictoires entr'eux?

Si l'on considère que la force de l'équilibre contraint la balance au mouvement ou au repos, du repos non équilibré naissant le mouvement et du mouvement non équilibré naissant le repos, on acquiert nécessairement cette conviction que : *l'equilibre est le noyau de toute science et de toute puissance.*

Coordonnant à ce seul centre tous les fils de son traité philosophique et se fondant *sur la seule sûre base du sensisme* d'où résultent les puissances et les facultés de l'âme humaine, l'auteur a présenté la philosophie comme l'ensemble de toutes les sciences considérées sous ce triple aspect spirituel, matériel et social.

Sentir est véritablement la seule base sûre du raisonnement. On observe constamment en effet que les philosophes, mathématiciens ou idéologues, dès qu'ils abandonnent la base du sensisme pour se lancer trop haut dans les régions de l'abstraction, s'égarent dans des tourbillons fantastiques de contradictions et d'erreurs.

La publication de ce travail philosophique vise à ces résultats :

Dans *la Dialectique*, faire cesser dans les verbes l'absurde nomenclature des temps : prétérit parfait, prétérit plus que parfait, futur passé à l'indicatif, prétérit imparfait et prétérit plus que parfait au subjonctif.

Dans *l'Histoire*, faire cesser la confusion des temps auxquels appartient l'ancien empire romain payen avec les temps auxquels appartient l'empire byzantin chrétien, dominé par l'influence des conciles des évêques.

Dans *la Philosophie sociale*, faire cesser l'erreur qui consiste à supposer la religion chrétienne incompatible avec la politique patriotique.

D'ailleurs ce traité philosophique dans lequel l'auteur poursuit le but constant d'exposer la plus grande somme d'instruction sous le volume le plus petit, pourra devenir le germe d'ouvrages d'un plus grand développement et notamment

D'une complète *Institution de la langue latine*, destinée à servir de règle dialectique pour l'enseignement grammatical des langues modernes des nations les plus avancées.

D'un cours *d'Histoire*, considérée sous le double aspect religieux des Eglises et politique des Etats, et étudiée dans la raison de leur mécanisme particulier et dans la cause de leur plus ou moins grande prospérité et de leur existence plus ou moins prolongée

D'une étude de *la Philosophie*, considérée non comme une science spéciale, mais comme l'ensemble coordonné de toutes les sciences et de tous les arts.

Sur ces divers points et dans d'autres branches scientifiques, il y a pour les esprits élevés matière à s'exercer utilement et glorieusement pour le bien de l'humanité.

En un mot le présent traité, offrant la concentration des traités philosophiques éclos en tous temps et en tous lieux, peut être justement estimé : le portrait réduit de l'éternel mécanisme mondial :

UNITÉ DANS LA VARIÉTÉ.

Le portrait peut périr, l'original jamais.

Genève, le 21 juin 1870

Charles BESANÇON.

Genève — Imprimerie Verésoff et Garrigues

DE

COORDINATIONE SCIENTIARUM

PRÆFATIO.

Deus Charitas est Charitas Ordo Servans Ordinem = Ordine Servatur.

Utilem solummodo illam putare debemus scientiam, quæ singulis hominibus et humanis societatibus utilis est, et sola hac de ratione summos putare milites, qui pro humanarum mentium salute pugnant, quia nisi utilis est quod scimus, et loquimur, at agimus stulta est gloria, et ad quid sine sapientia potestas juvat?

Sapientia gignit potestatem, et non potestas sapientiam.

Si autem tantum scimus quantum memoriæ mandamus, certum est quod in navi humanæ memoriæ tanto magis comprehendimus quanto magis coordinatum insinuamus, et tanto magis coordinatum imperamus quanto magis unicentrico gubernaculo regimus.

Hinc justo titulo *logicam* esse clavem omnium scientiarum dicitur, sed quid *logica* nisi perfectum mechanicæ scientiæ speculum, dummodo *mechanica scientia* sola inter homines necontendibilis et perfecta?

Clarissimi *logica* Genovesii inter *logicæ* tractatus optima satis demonstrat quod ædificium sapientiæ spirituale instar œconomiæ materialium ædificiorum procedit, nempe elementorum anima humana inventrix, judicatrix, argumentatrix, ordinatrix, et si de ædificio navali, cui homines et omnes societates hominum justa ratione comparantur, loquimur, et gubernatrix est.

Mechanica autem scientia ad vectis theoricam reducitur, quæ nihil aliud est nisi æquilibrii ratio. At si animadvertimus, motus et quietis causam considerantes, quod vis æquilibrii trutinam ant ad quietem ant ad motum constringit, justa debemus ratione deducere *æquilibrium* et motus et quietis causam et *mechanicæ* et scientiarum omnium et ordinis cujuscumque musicum esse choristam et logicum unicentrum quod libræ=signo, duobus horizontalibus parallelis astronomi et mathematici figurant.

Hinc ratione perfecta consideratur: *nucleus sapientiæ et dominii æquilibrium.*

Sed sicut homo omnis duplex, nempe anima et corpore constans est, ita et mundus universus duplex est, nempe mundo spirituali et mundo materiali constat.

Duobus ergo universus constat mechanicis ordinibus, idest mechanismo ordinis spiritualis, et mechanismo ordinis materialis.

Et si verum est quod spiritualis et materialis omnis nexus mechanicus est æquilibrii ratio, attamen utriusque mundi providentiam agit universalis moderationis Optima Maxima illa Mysterii Majestas quam ut Iehovah (essentia omnium:

„Deus Vis librans, solvens, recreans nexus
„de animarum et corporum particulis,)

consensus omnium colit populorum.

De animarum et corporum particulis multi multipharie loquti sunt philosophi in multis discrepantes, convenientes autem in hoc, quod animæ nedivisibiles et nedestructibiles sint particulæ intelligentes=volentes, et primitiva elementa corporum nedivisibiles et nedestructibiles sint particulæ cohærentes=moventes. In quibus considerationibus post antiquiores philosophos varios Leibnitius et Wolfius, et monachus venetus Franciscus Vasellius in suo Dialogo Somatologico de Substantia A. D. 1769 Venetiis impresso præcelluerunt.

Sed anima inclusa corpori per nerveam arborem a tribus sensuum fontibus dependet, idest a fonte interna impressionum spiritualium animarum, et a fonte externa impressionum materialium corporum, et a fonte intermedia impressionum visceralium proprii vegetismi corporei.

Hinc triplex oritur philosophiæ divisio, idest: spiritualis et materialis et socialis, sed philosophia socialis distinguenda, quippe dicitur socialis propria, quæ de relationibus disserit inter corporis vegetationem et sensationes animæ, dum socialis aliena dicitur, quæ de relationibus disserit inter hominem et alia, sive ad mundum spiritualem sive ad mundum materialem pertinentia.

Quapropter philosophia socialis in tres subdivisiones distinguitur, idest: socialis propria cujus institutio dicitur *medicina* et ministratio institutionis *curatio*, et socialis spiritualis cujus institutio dicitur *religio*, et ministratio institutionis *ecclesia*, et socialis materialis, cujus institutio dicitur *politica*, et ministratio institutionis *gubernium*.

Et verum est quod ratio rerum omnium sapientiam constituit, quæ supremus dux debet hominum esse, et quod sicut in mechanismo ordinis materialis, ita in mechanismo ordinis spiritualis æterna axiomata existunt, sed sicut

ratio rerum ordinis materialis solum a revelatione hauritur naturæ, ita ratio rerum ordinis spiritualis solum a revelatione hauritur religionis.

Ergo sapientiæ pars spiritualis quæ ad salutem animæ pertinet, nihil aliud est nisi mechanismi spiritualis mundi notitia, et hæc a codice hauritur religionis, idest a *Sacra Biblia* cujus centrica scientia *evangelium*, in quo uti centrum universi spiritualis mechanismi ratione æquilibrii spiritualis fulget:

moderationis = doctrina.

Ergo sapientiæ pars materialis quæ ad salutem corporis pertinet nihil aliud est nisi mechanismi materialis mundi notitia, et hæc a codice hauritur naturæ, cujus centrica scientia *mechanica* in qua uti centrum universi materialis mechanismi ratione æquilibrii materialis fulget:

vectis = theorica.

Attamen inter hos duos universi ordinis mundi mechanismos, uti intermedius ordo volvitur socialis, cujus basis duplex est, idest cœlestis una regiminis divini, terrestris altera regiminis humani.

Qua de re Divinus Jesus Magister inter divinum regimen et regimen humanum distinguens, regimen spirituale pro toto humano genere vocavit *Regnum Dei*, et regimen materiale pro humani generis parte, quæ Status dicitur, vocavit *Regnum Cæsaris, idest Patriæ.*

Hinc ratione clarissima consequitur quod sociales potestates omnes et scientiæ et artes quæ necessitatibus et commodis et voluptatibus humani serviunt consortii, solum valent tantum quantum oppositis pressionibus de base

cœlesti ordinis spiritualis et de basi terrestri ordinis materialis concordant; quia inter has duas bases premenes intermedius socialis omnis volvitur annis, et nutritionem propriæ sugit existentiæ.

Pro norma vitæ omnibus necessaria est sapientia, idest cognitio rerum divinarum de quibus *religio*, et rerum humanarum de quibus *politica*, sed sapientiam consequi quasi omnes debent ab *auctoritate codicis religionis*, et *legum politicæ*, quia pauci sapientiam consequi possunt a *studio rationis*. Hinc religio et politica ordinis socialis sunt necessitates.

Et sicut in mundiali systemate quemadmodum etiam a *sacrosancto* discimus *evangelio*, ordo spiritualis et ordo materialis ab opposita base procedentes opposito cursu volvuntur, ita in humana societate evenit, quod qui juxta corporatorem ordinem materialem terræ sunt dominati, illi juxta animatorem ordinem spiritualem cœli sunt dominantes, quapropter novissimi primi et primi novissimi.

Ad hoc pertinet etiam observatio quod sicut in facto universalis mechanismi ordo spiritualis animator et ordo materialis corporator, musicæ æternæ rationis causa, nec separabiles sunt, ita omne philosophiæ genus ordini spirituali coordinatum salutare, et contradicens absurdum sit et abominandum.

Tandem si providentia æquilibrii ordinis spiritualis, quam moderationis doctrina evidenter exprimit, anima est providentiæ æquilibrii ordinis materialis, quam vectis theorica exprimit evidenter; necessaria ratione consequitur quod miseros errantes in protheiformi pelago vitæ et scientiarum sola æquilibrii stella non mutabilis et æterna a naufragio humanæ rationis servare, et in portum divinæ logicæ salutis semper ducere potest; præsentim quia mirabilis

consideranda est inter spiritualia et materialia æterni mechanismi mundialis constans simplicissima analogia.

At in æterno mundiali ordine mechanismi spiritualis et mechanismi materialis analogia est suprema in æquilibrio inter ministerium materialiter dictum decompositionis, et spiritualiter dictum olim Arimania seu diabolicum atque ministerium materialiter dictum recompositionis et spiritualiter dictam olim Oromazdis seu angelicum.

Etenim vita naturæ ubique semperque sibi similis in librato certamine perpetuo inter oppositas vires stat.

Quapropter malis exiguis exigua remedia, et malis extremis extrema remedia; et ubique semperque inter contraria se curantia in omnibus:

„circumstantiis librandæ provisiones.“

DE

PHILOSOPHIA ORDINIS SPIRITUALIS

PARS PRIMA.

Philosophia spiritualis quæ disserit de potentiis animæ, omnes regit scientias.

Anima nedivisibilis et nedestructibilis particula est intelligens=volens.

Quoad potentiam *intellectus* animæ humanæ hæc constat tribus facultatibus, idest passiva *comprehensionis* per quam sensationes recipit, et activa *insinuationis* per quam sensationes infert, et servativa *retentionis* per quam memoriam sensationum servat.

Post antiquiores philosophos loqui sunt sapientissime de facultate passiva *comprehensionis* per sensus externos Lokius et Condillachius, et per sensus internos Kantius et discipuli ejus; sed de facultate *insinuationis* humana scientia adhuc infans. Et re vera quid mirum si anima quæ per lucem ex remotissimis astris sensationes recipit et remotissimis astris sensationes inferret?

Pertinet ad potentiam intellectus animæ scientia *ideologiæ*, cujus divisio *logica* et *dialectica*.

Logica quæ ars est comprehendendi censationes, sive se imprimendi dividitur in *ideogeniam* quæ ars est acquirendi seneationes per analysim, et *ideotaxim* quæ ars est coordinandi sensationes per synteeim.

Quoad *ideogeniam* considerandum est quod sententia.

„Sentio, ergo existo, et existit quod me sentire facit"

fundamentum est humanarum omnium cognitionum, quandoquidem animæ ideas omnes acquirit per tres fontes sensationum idest internam impressionum animarum et externam impressionum corporum et intermediam impressionum proprii vegetismi, uti pruritus voluptae, aut fluxionis dolor.

Ideogeniæ duæ sunt scholæ præcipuæ.

Schola Lokii exposita per suum: Specimen de humano intellectu; quam Condillachius tractatibus variis perfecit, et ex qua eruitur omnes ideas ex sensibus oriri, quamvis demonstratio per solos sensus externos fiat.

Schola Kantii sequuta a Fichteo et Schellingio et Okenio et Hegelio, quæ inter certamina variarum plus vel minus evidentium philosophicarum discussionum, utile tamen evadit in demonstratione quod per sensus internos etiam oriuntur ideæ.

Sed concordia inter hac duas scholas dissimiles probatur per existentiam duplicis sensismi a summis omnibus medicis consensam, et hac de ratione *ideogenia* Condillachii viget tantum ex fonte sensuum externorum, de qua disserunt Lokius et materialistæ, quantum ex fonte sensuum internorum, de qua disserunt Kantius et spiritualistæ.

Hinc convinctio eruitur quod ad recte cogitandum, determinare oportet si cogitetur:

1. sensu proprio, aut sensu alieno;
2. conditione activa, aut servativa, aut passiva;

3. in aspectu materiali sensuum externorum, idest mundi objectivi, aut in aspetctu spirituali sensuum internorum, idest mundi subjectivi, aut in aspectu intermedio idest suimetipsius inter non se exteriorem et non se interiorem.

Quoad *ideotaxim* satisfaciens est Genovesii *logica* adolescentulis dicata.

Dialectica, quæ ars est insinuandi sensationes sive se exprimendi, dividitur in *verbopus* et *verbeloquium*.

Quoad *verbopus* certe sublimiora *verba* sunt *opera*, et satis hoc.

Attamen pro sociali consortio et humana instructione necessaria etiam *verba eloquii* scripti aut dicti, et hinc quoad *verbeloquium* considerandum, quod ad partem hanc *dialecticæ* satisfacit modo meliore *grammatica* linguæ latinæ, a qua variarum nationum recentium linguæ derivantur.

Et ad hoc pertinet consideratio, quod latina lingua per mathematicæ præcisionis mechanismum, paucis exceptis duplicitatis mysticæ verbis, in simplicitate, et evidentia, et elegantia, ad explicandas scientias et artes, omnes antiquas et recentes superat linguas.

Quanam mundi lingua, duæ volutiones militares evidentius possunt exprimi, non necessariis articulis et verbis auxiliaribus, sicut lingua latina his quinque verbis:

„*irruimus densis et circumfundimur armis?*"

Præterea considerare oportet etiam quod linguæ viventes, inter quas gallica, quæ per simplicitatem et præcisionem et evidentiam uti primogenita latinæ linguæ putatur, nihilominus omnes variabiles sunt, dum latina lingua mortua populis et sapientibus viva non variabilis remanet.

Porro adhuc desiderandum est, quod ab apto ingenio *instructio latinæ linguæ* ordine completo redigatur, idest quoad partem *lexicalem* de vocum radicibus, et quoad partem *grammaticalem* tam de vocum formatione, quam de vocum flexione, distinguendo inter octo eloquii partes quatuor declinabiles, et quatuor non declinabiles.

Præsertim in verborum conjugatione oportet distinguere duas conditiones activam et passivam, et in conditionibus modos, et in modis tempora. In modis autem indicativo et subjunctivo ordo temporum sic exponendus, videlicet:

Indicativi, præsens (laudo)
imperfectum (laudabam)
præteritum anterius et præteritum posterius
(antea monueram, postea laudavi)
futurum anterius et futurum posterius.
(quum monuero, tunc laudabo)
Subjunctivi præsens (laudem)
præteritum perfectum (laudaverim)
præteritum conditionale duplex anterius et posterius
(si antea monuissem, postea laudavissem)
futurum perfectum (laudaturus sim)
futurum conditionale duplex anterius et posterius.
(si antea monerem, postea laudarem)

Et sicut in conditione activa, ita in conditione passiva ordo ipse temporum regit.

De præpositionibus autem determinandæ sunt illæ, quæ motum exprimunt centripetum et compositionis, et illæ quæ motum exprimunt centrifugum et decompositionis.

Post partem grammaticalem, *syntaxica* pars exponenda.

Verba sunt signa idearum, quapropter sicut in arte cogitandi nunquam nimia est accuratio ordinis idearum,

ita in arte loquendi nunquam nimia est accuratio ordinis verborum; quia ex confusione verborum confusio idearum, quæ pessima hominibus miseria pejor diluvio.

Præterea quoad *dialecticam* adjiciendum est, quod ab eloquio *rhetoricis figuris* ornato cum metro constituitur *poesis*, et sine metro constituitur *eloquentia*, quæ inter artes voluptatis, pulchras nuncupatas, serviunt philosophiæ triplici, non solum deliciis narrationum, sed etiam instructionum severitate.

Tandem ad *dialecticam* pertinet etiam elementaria *ars scribendi* et *legendi*.

Et hoc de animæ humanæ *intellectu* satis.

Quoad autem animæ humanæ potentiam *voluntatis*, hoc certe scimus, quod sicut in mundo materiali *corpora* inter *attractionem* et *repulsionem* volvuntur, ita in mundo spirituali *animæ* inter *concupiscibile* et *abhorribile* agitantur.

Sic quisque voluptates appetit et dolores evitat, et hoc animalis proprium naturæ.

Sed non omnis voluptas bonum, et non omnis dolor malum, quia solæ illæ pro bonis habendæ voluptates, quæ juvant corpori, et animæ non nocent, et soli sunt illi pro malis habendi dolores, qui nocent corpori, et animæ non juvant.

Attamen non omnes homines bona et mala eâdem ratione judicant, quia animæ humanæ sub dominio visionum et impressionum cælestium spirituum sunt interius — (quisque suos patitur manes. Virg.) et exterius inter seductiones et vexationes circumimprimentium objectorum agitantur.

Præterea raro ex sano intellectu sana voluntas, quapropter animæ humanæ, natura propria, superbæ et cru-

deles, perpetuo proclivæ bello sunt, oppugnando æquales, et insidiando superiores, et opprimendo inferiores; et ordinis socialis paci non subjiciuntur nisi per *amorem ecstasis* Dei, aut per Cæsaris *gladii terrorem*; qua de re potius quam nullum sociale jugum est quodcumque divinum et quodcumque humanum jugum optandum.

Etenim hoc certe in humanis societatibus observamus, quod homines quanto magis illustres tanto magis insidiati, et quanto magis miseri tanto magis oppressi sunt

Sed quia inter miserias omnes imbecillitas ingenii quam maxima æstimatur ab hominibus, ita evenit, quod illi qui aut imbecillitate naturali aut imbecillitate ostentata fruuntur, quantumvis nobiles, quantumvis divites, quantumvis potentes nihilominus hominum odia et insidias et perfidias, contemtæ inbecillitatis gratia, evitant, et indulgentiam in omnibus consequuntur: dum illi qui aut sapientia naturali aut sapientia ostentata patiuntur, quantumvis ignobiles, quantumvis pauperes, quantumvis non potentes, nihilominus hominum odia et insidias et perfidias. timendæ sapientiæ causa, sufferunt, et indulgentiam in nihilo consequuntur.

Ad hoc etiam addendum est, quod omnes homines plus vel minus per aliorum negligentiam irritantur, et per aliorum obsequium inflantur, et utroque modo magis ergo alios insolentes efficiuntur: de quibus miserrimis insaniis passive et active liberantur illi, qui inter vitiosum extremum *superbiæ* et vitiosum extremum *vilitatis* in paupertate spiritus (evangelii doctrina), idest in virtuoso medio *humilitatis* moderantur, et ita stultos contemnentes, et a stultis contemti, in contemptione stultorum, quorum infinitus est numerus, socialem requiem inveniunt.

Sin autem paupertatis spiritus seu humilitatis virtus ignorantibus videtur stupiditas, nihilom inus stupiditatis famam qui habet conservando gaudeat, et qui non habet imitando acquirat; quia si prudens homo ille est qui thesaurum materialem possidens sub paupertatis velamine humanæ abscondit avaritiæ, certe prudentissimus erit ille qui thesaurum spiritualem sapientiæ possidens sub stupiditatis velamine ab invidia et perfidia hominum non prostituendum servat.

Moderatum stupiditatis scutum non solum in oculos sed etiam in voculas hominum incidens vera est laurus sapientiæ, quæ ab insana eorum invidia et insidia, et ab intuitu tyrannidis patentis, et tyrannidis occultæ nos abripit, et hoc scuto ad vitandum Trojanum bellum usus Ulysses. Quippe ubique, semperque:

„Stupiditas solum humanas mitigat iras.“

DE

PHILOSOPHIA ORDINIS MATERIALIS

PARS SECUNDA.

Apud homines sicut spirituale dicitur quidquid in internos incidit sensus, ita materiale dicitur quidquid in externos incidit sensus.

Natura codex mechanismi materialis mundi est a quo solo rerum materialis ordinis per externos humanos sensus hauritur ratio.

Philosophia ordinis materialis complectitur:

Primo: scientias quæ de materialium corporum disserunt natura;

Secundo: artes quæ ad materialium corporum usum intendunt.

Hinc evidenter consequitur, quod a cognitione materialium corporum naturæ; eorum usus oritur cognitio, qua de re in sicentiis ordinis materialis, fundamentum artium omnium invenitur.

Quoad scientias quæ de materialium corporum disserunt natura, hæ aut de *quantitate* aut de *qualitate* aut de *proprietate* corporum omnium disserunt.

Scientia de corporum quantitate disserens dicitur *mathesis*, et hæc in duas partes dividitur, quia aut disserit de quantitate successiva ratione temporis, aut de quantitate contemporanea ratione spatii.

Si de quantitate successiva propria temporis mathesis disserit, dicitur *chronologia*, si de quantitate contemporanea propria spatii mathesis disserit, in duas dividitur sectiones, quia aut de quantitate conjuncta tractat, aut de quantitate disjuncta.

Mathesis quæ de quantitate conjuncta disserit, dicitur *geometria;* mathesis autem quæ de quantitate disjuncta disserit, in duos dividitur ramos, quia si disserit de quantitate disjuncta præcisa, dicitur *arithmetica*, et si de quantitate disjuncta abstracta, dicitur *algebra*.

Scientia de corporum qualitate disserens dicitur *chimica* et hæc in analyticam et syntheticam dividitur; quia analytica de decompositione, et synthetica de recompositione corporum tractat. Hæc scientia ad medicinam et mechanicas artes necessitatum et commodorum et voluptatum augendas et nobilitandas admodum servit. Sed quis mortalium humanis sensibus ad elementa primitiva nedivisibilia materiæ pervenist?

Porro de corporibus variis, dominio chimicæ subjiciuntur corpora non organica complete, et corpora organica non complete, et fluidus æthereus calorici, lucis, electrici, magnetici nihil.

Et quoad *corpora non organica* regnum minerale constituentia, chimica pervenire potuit ad ea decomponere et recomponere, reducens illa ad 62 corpora simplicia, quorum ultra adhuc nulla ulterior decompositio possibilis, et corporum horum simplicium 47 dicuntur metalla et 15 dicuntur metalloides.

Et quoad *corpora organica* regnum vegetale et regnum animale constituentia, chimica solum apprehendere potest corpora simplicia propria mineralium, sed aliæ substantiæ componentes varias vegetales et animales productiones indagini chimicæ, modis adhuc possessis, subtrahuntur. Hinc corpora organica per chimicam non complete decomponi queunt, et componi nequeunt.

Scientia de corporum proprietate disserens dicitur *physica*.

Clarior phisicæ scientiæ divisio per grammaticam scientiarum philosophicarum inchoata fuit ab anglo Beniamino Martinio, et sic novissime exponitur:

I. *Somatologia*, quæ disserit de communibus proprietatibus materiæ et singulatim:

1. de physicis axiomatibus.
2. de primitivis particulis corpora componentibus.
3. de extensione, et magnitudine et dimensione corporum.
4. de divisibilitate et ductilitate corporum.
5. de soliditate et configuratione corporum.
6. de mobilitate corporum et motus et quietis et *mechanicæ* legibus.
7. de variis corporum consistentiæ et transparentiæ et densitatis et duritiæ et flexibilitatis et elasticitatis gradibus et proprietatibus.
8. de sono et *musicæ* legibus.
9. de luce et coloribus idest de *optica* quæ in *catottricam* et in *diottricam* dividitur.
10. de electricitate passiva et activa, seu negativa et positiva, quæ in electricitatem mineralem, et vegetalem et animalem dividitur; et de *electrographia*.
11. de contrariis attractionis et calorici effectibus; et de *vaporis motrice vi*.

12. de gravitate corporum.

13. de odoribus et saporibus corporum.

II. *Cosmologia* quæ disserit de Mundo et singulatim:

1. de Mundi tempore et spatio.

2. de solari systemate idest de sole et planetis et satellitibus.

3. de cometia.

4. de stellis.

III. *Aereologia*, quæ disserit de aere et singulatim:

1. de proprietatibus aeris.

2. de ventis.

3. de meteoris et evaporationibus et pluviis.

4. de aereis phœnomenibus.

IV. *Geologia*, quæ disserit de globo terræ et singulatim:

1. de constructione globi idest de *geosynthesi*.

2. de proprietatibus aquæ idest de *hydraulica*, quæ in *hydrostaticam* et *hydrodynamicam* dividitur.

3. de maris fluxu et refluxu.

4. de globi superficiei descriptione, idest de *geographia*.

V. *Phisiologia*, seu historia naturalis, quæ disserit de procreationibus quæ in globo terræ inveniuntur et distinguuntur in corporibus non organicis et corporibus organicis.

De corporibus non organicis sive de mineralibus scientia est *mineralogia*.

Corpora organica distinguuntur in nonanimatis, et animatis.

De corporibus organicis nonanimatis idest vegetabilibus scientia est *botanica*.

De corporibus organicis animatis idest animalibus scientia est *zoologia*.

Animalium autem divisio est in vertebratis et nonvertebratis. Vertebrata dividuntur in mammiferos, volucres, repentes, pisces. Nonvertebrata dividuntur in insectos, aracnides, crustaceos, vermes, conchylia, radiarios, entozoos, zoofitas.

Inter animalia mammifera eminet homo de cujus corpore est scientia *medicina* divisa in

1. *Anatomia* humana.
2. *Physiologia* humana.
3. *Pathologia* humana.

Sic medica scientia cujus beneficum officium est hominibus præsentem salutem conservare et amissam restituere, morbos omnes destruendo aut mitigando, a cuncta ordinis materialis philosophia oritur, et etiam inter omnes materialis ordinis scientias est præstantissima, quia ad salutem humani corporis servit.

Sed si tantus numerus est viventium in corporibus solidis et opacis crassitudini sensuum hominum mortalium perceptibilibus, quantus numerus erit viventium in corporibus fluidis et translucentibus crassitudini sensuum hominum mortalium nonperceptibilibus, quorum existentiæ ratio naturæ non obstat et revelatio religionis consentit?

Quoad artes quæ ad materialium corporum usum intendunt, hæ sub communi nomine *polytechnicæ* comprehenduntur.

Polytechnica, autem artes mechanicas omnes necessitatis et commodi et voluptatis complectitur, cujus divisio in

I. *Ananketchnica*, idest artium necessitatis pacis et belli, quæ sunt:

1. *Constructio*, cujus divisio est in ædili, agraria, hydraulica, viali, navali.
2. *Œconomia*, cujus divisio est in publica et privata.

3. *Nautica.*
4. *Commercium.*
5. *Strategia* marittima et terrestris.

II. *Evkærotechnica*, idest artium commodi, quæ in variis mechanicis officinis exercentur.

III. *Edonetechnica*, idest artium voluptatis, quæ artes pulchræ etiam dicuntur et sunt:

1. *Architectura.*
2. *Sculptura.*
3. *Pictura.*
4. *Musica.*
5. *Chorea.*

Sed harum voluptatis artium mirabilior *musica*, quæ nihil aliud est nisi perfecta mathesis oscillationum aerearum per quantitatem contemporaneam *harmoniæ* et per quantitatem successivam *melodiæ* accommodata mechanicæ sensationum auricularium. Quippe sensationes omnes ad sensationem tactus rediguntur; attamen nec per cutem, nec per nasum, nec per oculos, sed solum per aures mechanicam mathesim sensationum, idest *musicam* anima humana potuit comprehendere, dum per oculos solum diatonicam colorum scalam, sed non perfectam cromaticam scalam obtinuit.

Tandem harum scientiarum et artium omnium *centrica scientia mechanica* est sola inter homines incontendibilis et perfecta, quæ ad simpliciorem expressionem in vectis theorica redacta, materialis mechanismi æquilibrii rationem præbet demonstrans quod universæ materialis naturæ lex est:

„*vis* = *æqualis massæ* × *multiplicatæ per velocitatem*"

DE

PHILOSOPHIA ORDINIS SOCIALIS

PARS TERTIA

Propria de Societate

CAPUT PRIMUM

Inter mundialem vim a directione propria cursus dependet navis.

Ita cursus vitæ cujuscumque hominis dependet a directione propria moderante involucrum mundialis vis a dominio Dei universi et a dominio Cæsaris patrii compositæ.

Hinc socialis salus possibilis solum per moderationem inter servitium Dei et servitium Patriæ.

Sed si navis animæ corpus, quomodo in mari vitæ navigatio prospera possibilis, si per nonlibratum corpus exerceatur?

Ex librato corpore libratus sensus.

Ex librato sensu libratus intellectus.

Ex librato intellectu librata voluntas.

Salus in Libra.

Ergo sine salute in societate propria animæ et corporis per æquilibrium inter vegetationem corporis et animæ sensibilitatem, non acquiritur salus in societate aliena spiritualis mundi et mundi materialis.

Etenim organum facultatum animæ in materiali mundo corpus est in quo, uti *medicina* docet, duplex facultas nervea idest *sensifera*, per quam passiva animæ facultas comprehensionis exercetur, et *motifera*, per quam activa animæ facultas insinuationis exercetur.

Hinc si nerveum systema perturbatur, etiam facultates intellectus animæ perturbantur, ita ut per vitiatum telescopium et vitiatam tubam, vitiatus visus et vitiata vox oriuntur.

At si anima in navi corporea inclusa solum per istud organum in mundo materiali sensationes comprehendere et insinuare potest, facile intelligendum, quomodo a corporali mechanismo salubriore aut infirmiore et a vario temperamento, et a varia crassitudine mechanismi corporei facultates animæ amplientur aut restringantur, et quomodo variæ species animalium a conditione humani generis distent.

Hinc Cuvierus sapientissimus medicus justa ratione docuit quod: quæstio vegetismi est quæstio sensismi, et quæstio sensismi est quæstio existentiæ.

Quoad vegetationem corporis considerare oportet, quod rotatio vegetativa volvitur inter duas oppositas functiones idest, passiva nutritionis, per quam omnia varia alimenta attrahuntur, et activa excretionis, per quam omnia varia excrementa expelluntur, quarum functionum in æquilibrio salus consistit.

Sed excretio et nutritio duobus oppositis modis exercentur, idest aut cursu centrifugo adjectionis promoto ab ictu repletionis de mensa profana, idest per assumptionem

alienæ externæ substantiæ defluentis a ventre per sanguinem et nervos trans cutem, aut cursu centripeto subtractionis promoto a tractu jejunii de mensa sacra, idest per assumptionem propriæ internæ substantiæ confluentis a cute per nervos et sanguinem traus ventrem.

A ratione motus vegetalis dependet ratio sensus animalis, et ab utraque dependet conditio vitalis, quapropter gymnastica animalis valet quantum servit diatbeticæ et gymnasticæ vegetali.

Et quando omnimodæ considerantur bumanæ miseriæ convincimur, quod a nimia sensibilitate per fallacia desideria, aut fallaces timores quam maxime oriuntur.

Sed quomodo anima a tyrannide nimiæ sensibilitatis liberanda?

Soinm per dissubstantiationem, qua de re a temporibus remotissimis *religio* macerationem et jejunium sanctificat.

Etenim omnium substantiarum commune vehiculum sanguis ubicumque manat et sorbet, et quum nutritionem trahere ex ventre nequit, tunc nutritionem trahit ex musculis et nervis et cute. Et per banc *avtophagiam* minuuntur humores omnimodi. Sin jejunio corporeo adjicitur maceratio corporea, tuno duplici ratione, idest defectu nutritionis et augmento excretionis, humores omnimodi et substantia motifera sensifera nervorum, quæ olim a medicis *christus visceralis* dicebatur, tanto magis minuuntur.

Attamen ex consumtione substantiæ nerveæ idest *nervinediâ* est inertia substantiæ nerveæ idest *apathia*, et progressione nervinediæ progressio apathiæ usque ad mortem. Sic:

miseris oppressis
liberum ni apathia.

Quippe ad servificandas humanas animas inventa est continui undique cruciatus forma pejor morte, sed si palam aut clam humana potestas imperat: servifieri aut cruciari; potestas divina salvans per apathism imperat:

„stupidifieri potius quam vilitari.“

Et ad hoc pertinet, etiam consideratio quod in aspectu alieno sensibilitas humana duplex est; quia in mundo spirituali per animam, et in mundo materiali per corpus vivimus, et ita sensationum stimulos in utroque mundo insinuamus et comprehendimus.

Studia philosophorum orientalium a remotissimis temporibus convenerunt in hoc, quod maxima felicitas in redemptione animæ a servitute sensuum stat; sed si per christum visceralem nervorum, a quo multi morbi atroces aut somni deliciæ habentur, divinum exercetur imperium, quomodo triumphum animæ in sensis propriis consequi? Ad hoc Sacræ Bibliæ respondet monitus quod: *„qui rapti sunt in cœlum audiunt arcana verba, quæ non licet hominibus loqui“*

Spirituali de Societate

CAPUT SECUNDUM

Spiritualis societatis pro toto humano genere magistra scientia *religio*, cujus exercitium est per proprias varias ministrationes quæ dicuntur *ecclesiæ*.

Inter religiones omnes *perfecta sola est Christiana religio*, quæ in Judæa tempore Tiberii Cæsaris instituta

fuit a *Jesu Christo*, qui per evangelium suum sanctificans distinctionem inter *Regnum Dei* et *Regnum Patriæ*, et in Regno Dei inter *cultum internum* et *cultum externum*, simplicissima doctrina et exemplo moderationis fortissimo a *base humilitatis* ad *scopum charitatis* illam per *corporeum mysterium* firmavit.

Ad æstimanda autem beneficia magna quæ hauc per religionem pro humana societate et singulis hominibus fluxerunt, sufficit ejus comparatio cum religione antiqua græcorum et romanorum quæ inter alias gentiles religiones omnes præcelluit:

1. ratione publica expressa a cultu per mores et ritus, et
2. ratione secreta dogmatum velata mysterio.

Quoad rationem publicam arbor religionis in germine et per basem ds qua demittit radices, et per scopum cui elevat ramos est consideranda.

Germen perfectum et perpetuum in sola religione christiana; quia gentilis religionis germen erat semper falsabile oraculum externæ sacerdotii; sed germen religionis christianæ est nunquam falsabile oraculum interius Dei.

Basis perfecta et perpetua in sola religione christiana; quia gentilis religionis basis in exercitiis consistebat a doctrina morum disjunctis, de qua solum philosophi disserebant; sed christiana religio omnia quæ sublimiores philosophi de moribus docuerunt et virtutibus coordinata in base humilitatis sanctificavit.

Scopus perfectus et perpetuus in sola religione christiana; quia gentilis religionis scopus gloria, quæ cultui publico super aras heroas præstabat superbiæ, quod ferociores oppressores, et desolatiores oppressos faciebat, et ita in detrimento patriæ socialem discordiam animarum fovebat; sed christianæ religionis unicus scopus charitas, quæ colit heroum humilitatis memoriam, minus feroces

oppressores et minus desolatos oppressos facit, et sic etiam pro patriæ beneficio concordiam animarum fovet socialem.

Ergo christiana religio perpetuis satisfaciens humanæ societatis, et singulorum hominum necessitatibus, necessarie perpetua est.

Quoad rationem secretam mysterio dogmatum velatam, hæc erat in religione gentili figurata per symbola et horribiles turpitudines, quæ suis Diis tribuebantur, ita ut fas divinum punibile fuisset per jus humanum. sed christiana religio post testamentum vetus et testamentum novum præbet christianis sublimioribus etiam testamentum secretum sive Apocalipsim religioso monitu quod: *conversatio in cœlis est*: et sic sæva dignitate de divinis rebus occultis omnes discussiones Sacra Biblia abscindit.

Praeterea christiana religio suos tripliciter armat cultores, idest in aspectu spirituali per *orationem*, in aspectu sociali per *charitatem*, in aspectu materiali per *corporis macerationem et jejunium*.

Et quoad humanas societates, si religio christiana sola mores format optimos, et corruptioni morum populorum obstat; nunquam satis repetendum est, quod sit: *christiana religio regiminum fundamentum, foederumque regiminum*; quoniam in humanis societatibus omnibus, spirituale regimen omnium variorum materialium regiminum anima est et fundamentum.

Porro si regimen spirituale nondestructibilis veritatis christianæ, ideat anima socialis per quam solum optimi formantur et servantur mores, veluti fundamentum quarumvis humanarum societatum, a societatibus humanis servatum perfecte et perpetue fuisset, societates humanæ perfectæ atque perpetuæ essent, sed sicut obstat materialium corporum æternitati mundiale mechanismum, per quod omnia

quæ per compositionem partium oriuntur, temporis progressu per decompositionem partium moriuntur, ita humana imbecillitas obstat socialium corporum æternitati, qua de re eorum vita per quatuor volvitur phases, quia a religione oritur potentia, a potentia oritur prosperitas, a prosperitate oritur irreligio, a irreligione oritur ruina.

Sed hoc in rerum discriminibus supremum et venerabile humanas quiescens animas judicium est, quod divina providentia ad destruendas societates vitiatas per ignorantes et impios mala permittens, et ad construendas societates præstantes per sapientes et probos bona disponens, in ordine universi omnia pro omnium salute semper ad melius regit.

Et hoc de instituto religionis satis.

Quoad religionis exercitium hoc duplici cultu constat nempe *cultu interno* Verbi Dei, et *cultu externo* per sociales ministrationes religiosas, quæ dicuntur *ecclesiæ*.

Caput invisibile christianæ religionis Jesus Christus ab omnibus celebratur christiania ecclesiis.

Attamen per cultum externum variæ sunt religiosæ christianæ ministrationes, seu ecclesiæ, et a duplice systemate derivantes.

De antiquo *systemate hierarchico* auctoritatem sacerdotalem servante ecclesiæ sunt *latina* et *græca* et *armena* et orientales aliæ minores.

De novo *systemate protestante* auctoritatem sacerdotalem non concedente, necesse est quod variæ et plurimæ multiplicentur ecclesiæ.

Hinc variarum omnium ecclesiarum variæ sunt historiæ et legislationes.

Attamen lex religionis, idest fas christianum in Sacra Biblia expositum, commune est omnibus variis christianis ecclesiis, et illud omnes uti Verbum Dei venerantur.

Sed quævis religiosa ministratio seu ecclesia a protectione vel permissione ministrationis politicæ seu gubernii dependet.

Hac de causa: interior societas divina quanto minus per ecclesias exteriorizzatur, tanto minus per status violatur ab exteriore societate humana.

Potestatis cœlestis conformatio, non a conformatione terrestris potestatis dependet, sicut impiorum audacia mentitur, sed a conformatione cœlestis potestatis conformatio terrestrium omnium potestatum dependet, sicut christianæ religionis probant origo et effectus contra romani persecutiones imperii.

Porro contra persecutiones omnimodas omnium temporum et locorum christianas quiescit animas divini Jesus magistri monitus in colloquio samaritanæ (Jo. c. 4.) ex quo discimus quod: unio animarum christianarum in religionis divino verbo et victu est vulnerabilis exterius, sed nevulnerabilis interius, quia per exteriorem cultum potest ab humanis potestatibus palam aut clam opprimi et schismatizzari et irridari, sed per cultum interiorem nunquam.

Materiali de Societate

CAPUT TERTIUM

Patria societas est materialis alicujus humani generis partis, quæ dicitur *status*, cui commune est jus. Ministratio autem patriæ in quacumque forma monarchica aut aristocratica aut democratica dicitur *gubernium*, et per duos

gubernii modos exerceetur, idest per *gubernium secretum ordinatorem* et *gubernium publicum executorem*.

Scopus autem patriæ unionis est securitas vitæ et proprietatum civium adversus hostes internos et externos; quapropter si patria pro salute civium exterius et interius pugnat, justa ratione, et cives debent pro salute patriæ vivere et mori.

Etenim in sociali aspectu etiam Deus Charitas est, cui provida moderatione servitur generaliter pro se et proximo, præsertimque pro patria sub existente quocumque regimine ad mala minuenda aut augenda bona.

Materialis societatis pro aliqua humani generis parte, sive statu, magistra scientia *politica*, quæ a duobus hauritur fontibus, idest *historia* quæ socialis ordinis præteriti præbet cognitionem, et *legislatione* quæ socialis ordinis futuri statuit directionem.

Historia præcipue consideranda est, et sicut in geographia ita in historia ad perfectam instructionem consequendam necessarii sunt prospectus generales et prospectus speciales, in omnibus subdivisionibus eorum, in quibus subdivisionibus tanto major scientia consequitur quanto minus temporis et spatii ab illis describitur.

Sed sicut in aspectu materiali viget, et in aspectu spirituali viget axioma, quod: quantum acquiritur in superficie tantum amittitur in profunditate, ita consequitur, quod melius historiæ generalis compendium sit illud quod in minore volumine, majorem præbet instructionem. Quamobrem historiæ generalis melior prospectus est ille, qui paucis commentationibus et judiciis facta certa et nuda præbet evidentius.

Historia generalis per tria æva distinguitur, nempe vetus et medium et novum. Medium ævum quod a fine

veteris ævi ad principium novi ævi extenditur, cursui congruit imperii byzantini, idest ab epocha in qua Constantinus per mutationem fundamenti socialis *religionis*, et ædificii socialis *politicæ*, et *urbis* capitis imperii finem antiquo romano imperio imposuit, usque ad epocham in qua Turcæ imperium byzantinum destruxerunt, et per profugos græcos scientiæ et artes in Europa diffusæ fuerunt, quo tempore magni eventus inventionum ignivomorum armorum, et typographiæ, et novi emispheri Americæ, et novi ecclesiarum protestantis systematis, accesserunt.

Porro ad generalem historiæ prospectum accedunt historiæ speciales magnarum nationum et magnorum eventuum mundi, hinc historiæ speciales parvarum nationum, hinc chronica municipiorum et parvarum regionum, in quibus vivide natura et mores temporum et locorum describuntur, hinc epistolæ illustrium hominum et quantumvis etiam obscurorum, quia hæc pretiosissima sunt monumenta quæ humanæ animæ naturam et privatos mores et privatas passiones et privatas implicationes familiarum et hominum in relatione omnium circumstantiarum temporum et locorum nuda indicant veritate.

Quis studiis præparatoriis munitus et matura ætate legens annales Taciti non sentiet semetipsum secut viventem inter illius temporis societatem romanam?

Qui legit epistolas defunctorum cognitionem illorum acquirit, ita ut sibimetipsi illi contemporanei videantur.

Quapropter divus Hieronymus in epistolis suis sapientissimum memorat Turpilii comici dictum quod: literæ faciunt præsentes homines, per spatium aut tempus, absentes.

Legislatio status a voluntate imperante fluens de *forma* status et *constitutione* status ad securitatem publicam, et de *jurisdictione* ad securitatem privatam statuit.

De *forma* patriæ seu status considerandum est, quod triplex est per regimen publicum, et una est per regimen secretum.

Quoad *gubernium publicum* quod in forma monarchica, aut aristocratica, aut democratica redigitur, considerandum est, quod in *monarchia* imperat voluntas principis, in *aristocratia* imperat voluntas optimatum, in *democratia* imperat voluntas populi.

Ah humanæ sapientiæ et virtutis næqualitate de facto oritur neæqualitas de jure per monarchiam vel aristocratiam, et ab humanæ sapientiæ et virtutis æqualitate de facto oritur æqualitas de jure per democratiam.

Hinc non omnes populi ipsius formæ statue idonei, et orbis terræ nunquam deficiet populis per morum austeritatem solum democratiæ idoneis, et nunquam deficiet populis per dulcedinem morum solum aristocratiæ aut monarchiæ idoneis.

Porro populis difficilior est forma aristocratica, et desiderabiliores sunt formæ monarchica aut forma democratica aut forma mixta.

Præterea inter democratiam et monarchiam non admissibilis est ulla comparatio nisi in hoc, quod optima democratia præferibilis pessimæ monarchiæ, et optima monarchia præferibilis pessimæ democratiæ.

Quoad *gubernium secretum* hoc semper et ubique oligarchicum; quia verum est quod:

„Qui potestatem possidet patentem,“

„Potest occultam agere tyrannidem“

sed in quacumque reginimis forma publica de jure, semper a potentioribus magistratibus et sapientibus hominibus secretum consortium de facto componitur, quod per secreta organa secrete promovet et secrete sustinet deliberationes

imperantis in monarchia, aut senati in aristocratia, aut comitiorum in democratia, et infimi populi potitur ambitu et pecunia et licentia, ad omnia intermedia sodalitia inter oppositas jacturas subjicienda.

De *constitutione* patriæ seu status suprema sequens est consideratio:

In quacumque regiminis forma consortium patrium constat aut mechanismo unitario et simplice, aut mechanismo subdiviso et composito.

Existunt monarchiæ et aristocratiæ et democratiæ unitariæ in mechanismo simplice, et dicuntur *status simplices*.

Existunt monarchiæ compositæ monarchiis, et aristocratiæ compositæ aristocratiis, et democratiæ compositæ democratiis, et dicuntur *status compositi*.

Status simplices contextu unicentrico constituti quibus norma: *omnia in uno*, facilius et minoribus impensis et majore vi ministrantur, sed referentes et dependentes unico centro potestatis, per hujus promptam et completam usurpationem, succumbere internæ revolutioni aut externæ aggressioni queunt prompte et complete.

Status compositi contextu pluricentrico constituti; quibus norma: *in pluribus unum* difficilius et majoribus impensis et minore vi ministrantur, sed referentes et dependentes specialibus pluribus centris specialium potestatum, centro potestatis generalis conjunctis, in extraordinariis eventibus a centro generali facile disjunguntur, et alio speciali centro, majore aut minore fœdere, facile conjunguntur, quapropter tot specialia centra inter se disjuncta et librata, per promptam et completam usurpationem, succumbere internæ revolutioni aut externæ aggressioni prompte et complete nequeunt.

Pluricipitem hydram prompte subjicere solum Harculi possibile.

Ergo status simplices sunt magis efficaces, sed minus durabiles, et status compositi sunt minus efficaces, sed magis durabiles.

De *jurisdictione* patriæ seu status, quæ ad securitatem civium in personis et proprietatibus per leges civiles et criminales exercetur, satis docet romana *jurisprudentia* quæ per lagum codices varios cultiorum nationum adhuc celebratur.

Porro a considerationibus expositis evidenter consequitur, quod sicut per spiritualem ordinem animatorem et materialem ordinem corporatorem omnis socialis volvitur annis, ita et quoad scientiam historiæ et quoad scientiam legislationis nihil æstimandum est nisi quod et quantum duabus socialibus basibus concordat, idest ordini spirituali cujus norma *religio*, et ordini materiali cujus norma *natura*.

Hac ratione in historia et legislationis æstimandum est solum quod religioni et naturæ concordat, ideo saluti animæ et corporis juvat, et contemnendum est solum quod religioni et naturæ discordat, ideo saluti animæ et corporis nocet.

Et hac illuminati ratione salvare nos possumus a pestilente diluvio fallacium sententiarum in infinita librorum multitudine dispersarum, et sana mente humanas actiones et humanas leges judicare.

Sed in quacumque constructionis patriæ conditione sicut in quacumque constructionis navis conditione, salus in æquilibrio.

Hinc ædificium patriæ librandum inter omnia contraria per artem pacis et per artem belli, et præsertim sicut

pyramis inter basem prosperitatis populi et verticem terroris principis, quia sicut romanus Camillus docuit: *firmissimum imperium est quo obedientes gaudent.*

Ergo aut ratione voluntaria aut ratione necessaria æquilibrium est in omnibus suprema universalis norma.

Sin salus populi suprema lex socialis est, ad prosperitatem autem populi efficiendam, providere oportet necessitatibus humanis spiritualibus et materialibus, sicut antiqui sapientes docuerunt:

„populis circenses et panem"

Ideo ante omnia veneranda est *christiana religio* per quam populorum sanantur mentes et mores, et post hanc colenda est *œconomia* in gestionibus publicis et privatis; quia hæc duo suprema negotia sunt artis pacis a qua ars nutritur belli.

Præterea in quacumque statue forma duæ œconomicæ sunt civium conditiones, nempe ad statum plus vel minus *contribuentes* et ab statu plus vel minus *stipendiati*.

Sed certum est, quod si flumini socialis industriæ intolerabiles contributiones imponuntur, hoc in omnibus suis ramis exsiccatur, et tunc ruina statue nonevitabilis.

Quia verum est, quod mundus semper ubique varieque inter oppressores et oppressos scinditur, sed hoc mirabile est providentiæ universalis mechanismum per quod quævis oppressio semper ubique parturiat animarum concordiam inter oppressos, et animarum discordiam inter oppressores. Qua de re per has duas oppositas causas dispositionum animarum, violentum oppressionis regimen durare nequit.

In sociali ædificio dispositio hostilis animarum est

tanquam combustibilium materiarum congeries, cui unius favillæ sufficit occasio ad explosionem incendii.

Seculo præterito opus admirabile Joannis Jacobi Rousseau titulo: *de pactione sociali*, lumen maximum in transactionibus et ministrationibus statuum variorum effudit, at erroneum opus solum in hoc, quod suspicionem insinuat christianæ religionis officia cum officiis patriæ politicæ non convenire.

Sed ad erroris hujus destructionem sufficit consideratio quod: Jesus Christi distinctio inter fas Dei et jus Patriæ, præcepto:

Reddite quæ sunt Cœsaris Cœsari et quæ sunt Dei Deo (Mat. c. 22. v. 21.) quamcumque contradictionem inter officia religiosa, et officia politica nonpossibilem efficit.

Et revera ad hoc demonstrandum valet memorabilis oratio Francisci Dreakii angli navium ducis ante navale prælium contra classem hispanicam Caleti, quæ in chronicis antiquis refertur sic:

„Navitæ et milites: Si lex Dei christianis imperat „amare proximum sicut seipsum, et lex patriæ civibus imperat pro salute patriæ etiam sacrificium vitæ propriæ „offerre, tanto magis vitæ inimicorum patriæ sacrificandæ. „Strenue pugnate igitur, sub duce vestro, considerantes „quod, spartana sententia, nunquam vincuntur illi quibus „voluntas est: vincere aut mori.“

. Tandem si sine magnis periculis et impensis et laboribus et sacrificiis populorum, mutationes socialium ædificiorum non operantur, ergo honestus unusquisque, per socialis charitatis religiosum officium, conservationi socialis ædificii patriæ, cui pertinet, servire fideliter debet, quatenus sit possibile.

Sed quidquid oritur, progressu temporis moritur, et in humanis consortiis patriis progressu temporis mores corrumpuntur, leges non sufficientes efficiuntur, patria vitiatur.

Hinc perpetua reproductio bellorum per quae novis gentibus minus corruptis corruptiores gentes subjiciuntur, et status novi oppositis inter se contralibrantibus formis componuntur, mira est ordinis socialis et provida necessitas.

Coordinata de Bibliotheca

CONCLUSIO

Bibliotheca est spirituale ædificium quòd partibus, non casu, sed ratione coordinatis constare debet, sicut materiale ædificium partibus non casu, aut juxta ordinem alphabeticum, sed juxta constructionis rationem coordinatis constat.

Orbis ergo bibliothecæ zona superior assignetur philosophiæ ordinis spiritualis, zona inferior assignetur philosophiæ ordinis materialis, zona media assignetur philosophiæ ordinis socialis.

In his tribus partibus autem sicut in variorum concentu musicorum ad centrum prospectus propina opera præcipua, et a centro prospectus longius opera accedentia sunt reponenda.

Quoad partem inferiorem, ubi opera ad philosophiam ordinis materialis pertinentia sunt reponenda, in prospectu codex naturæ, idest instructio generalis scientiarum physicarum reponenda est, cui propius ad latera opera chimica, et hinc mathematica, et hinc trium naturæ regnorum mineralium et vegetabilium et animalium, et hinc artium necessitatis, et artium commodi, et artium voluptatis.

Quoad partem mediam, ubi opera ad philosophiam ordinis socialis pertinentia sunt reponenda, in prospectu pro societate propria reponendum est compendium medicinæ. Hinc ad latus unum opera varia societatis spiritualis seu religionis, et ministrationum ejus idest, ecclesiarum, historiæ et legislationes, primum autem historia generalis religionis et hinc historiæ speciales magnarum ecclesiarum, et magno-

rum eventuum, et parvorum. Hinc ad latus alterum opera varia societatis materialis, seu politicæ et ministrationum ejus, idest guberniorum historiæ et legislationes; et inter historias autem, primum historia generalis est reponenda, hinc historiæ speciales magnarum nationum, et magnorum eventuum mundi, et hinc historiæ speciales parvarum regionum, et hinc chronica municipiorum, et hinc privata epistolaria.

Hinc poetæ et oratores veteres et recentes utrinque.

Quoad partem superiorem ubi opera ad philosophiam ordinis spiritualis pertinentia sunt reponenda, animadvertendum est, quod inter antiquorum philosophorum et sanctorum patrum opera varia de rebus spiritualibus et officiis et moribus, in prospectu reponendi sunt tractatus varii ideologiæ per logicam et dialecticam.

In ara sub centro trium bibliothecæ zonarum sola Sacra Biblia reponenda uti divinæ sapientiæ et christianæ religionis codex. Ad quod pertinet etiam sapientium hominum consideratio per Sacram Bibliam solum nos scire auctorum aliorum operum, animas etiam adhuc vivere.

Sed *universa sapientia divina*, quæ *Pondus et Statera judicia Dei* (Prov. c. 16. v. 11.) ab ipsa Sacra Biblia definitur, solum libræ = signo bibliothecæ orbis in centro illuminet, quandoquidem:

MODERATIO

æquilibrio constans proportionali inter circumstantias et provisiones, summa virtutum et legum et scientiarum est, in qua omnium temporum et locorum omnium philosophi omnes concordes.

ADDENDA

ERRATA — CORRIGE

		Errata	Corrige
Pag. 1.	lin. 5.	at	et
" 2.	" 8	reduiotur	reducitur
	" 11.	ant	aut
" 3.	" 3	antem	autem
	" 8.	cabærantes	cohærentes
" 5	" 32.	præsentim	præsertim
" 6.	" 11	exigua	exigua
" 8	" 4.	syntesim	synthesim
" 9.	" 2.	aspetctu	aspectu
" 12.	" 18.	patuutur	patiuntur
" 13	" 2.	nihilomalbus	nihilominus
" 15.	" 14.	sceotia	scientiæ
" 17.	" 10	phisicæ	physicæ
" 18	" 21	Phisiologia	Physiologia
" 20.	" 8.	machanicis	mechanicis
" 21.	" 12	sensas	sensus
" 25.	" 20	perfeteta	perfecta
" 27.	" 17.	invisiblis	invisibile
	" 23.	greca	græca
" 30.	" 9.	emisphæri	hemisphærii
" 32.	" 1.	imperantis	imperantis
" 34.	" 6.	popoli	populi
	" 19. 20.	netotolerabiles	netolerabiles
" 35	" 7.	officiis	officiis
	" 16	navalem	navalis
	" 27.	sacrificis	sacrificiis
	" 29.	ædifilcii	ædificii
	" 31.	possilila	possibile
" 38	" 13	offiicis	officiis

ERRATA	CORRIGE
pag. 5 lin 7 humanarcun	humanarum